



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

220. Improbam terrenorum sollicitudinem ponendam.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

III. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est
& cor tuum. *Matth. 6. 6. 21.*

MEDITATIO CCXIX.

*Didagma XXV. De oculo simplici, &
nequam: hoc est, ut Augustinus exponit lib.
2. de serm. Dom. cap. 21. De
Intentione.*

I. **L**ucerna corporis tui, est oculus tuus.
Si oculus tuus fuerit simplex, totum
corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus
tuus fuerit nequam, totum corpus tuum
tenebrosum erit. *Matth. 6. 6. 22. & 23. Luc.
11. 6. 34.*

II. Si ergo lumen, quod in te est, tene-
bræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? *Mat-
thæi 6. 6. 23.* Vide ergo, ne lumen, quod in
te est, tenebræ sint. *Luc. 11. 6. 35.*

III. Si ergo corpus tuum totum lucidum
fuerit, non habens aliquam partem tenebra-
rum, erit lucidum totum, & sicut lucerna
fulgoris illuminabit te. *Luc. 11. 6. 36.*

MEDITATIO CCXX.

*Didagma XXVI. Improbam terreno-
rum sollicitudinem ponendam.*

I. **N**emo potest duobus dominis servire:
aut

aut enim unum odio habebit, & alterum diligit: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & mammonæ. *Matth. 6. & 24.*

II. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est, quàm esca? & corpus plus, quàm vestimentum? Respicite volatilia cæli; quoniam non ferunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? *Matth. 6. & 25. & 26.*

III. Quis autem vestrùm cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. *Matth. 6. & 27. 28. 29.*

IV. Si autem foenum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quantò magis vos modicæ fidei? *Matth. 6. & 30.*